

**De vita et gestis B. Roberti Arbrissellensis**  
**Ordinis fontis Ebraldi sub Regula S. Benedicti fundatoris,**  
 compendiosa disquisitio auctore R. P. D. Francisco Beda Plaine, O. S. B.

Decimum saeculum aerae christianae computari meretur iudicio Baronii<sup>1)</sup> et plurium melioris notae historicorum inter tristissimas epochas annalium Ecclesiae. Etenim tunc temporis visae sunt talis in regnis anarchia politica, talisque in provinciis dominatio tyrannica potentum, quales antea nunquam apparuerant. Insuper grassabatur undique pestis vitiorum carnalium foedissimorum, dum aliunde evanescebat scientia litterarum tum sacrarum, tum profanarum, dans locum ignorantiae et densis tenebris intellectualibus. Uno verbo barbaries antiquorum Germanorum, qui romanum imperium subegerant, et contra quam Ecclesia et recentius Carolus Magnus moles et muros extruere tentaverant, undique reviviscebat, undique vim faciebat contra haec ostia et istas januas. Locus erat timendi, ne mundus, perdita luce veritatis a Christo allatae, in antiquum chaos dierum creationis seu in horrendas tenebras paganismi de novo relaberetur.

Verumtamen ex altera parte fidei christianae semina, ab Apostolis et eorum successoribus sparsa in cordibus populorum eorumque virtutibus ac miraculis nutrita, tam altas radices dederant, ut propter scandala et vitia hujus nefandae epochae totaliter e mundo divelli possint et suffocari. Aliunde Deus, qui mentiri non potest, promiserat se mansurum in Ecclesia usque ad consummationem saeculorum et impossibile est, quod haec promissio suo effectu aliquando careat. Quocirca flamma et ardor fidei, cooperante Spiritu Sancto cum hominibus bonae voluntatis, facta fuerunt paucis post annis causa et principium mirabilis renovationis tum religionis, tum litterarum. Porro Ordo S. Benedicti tunc habuit duplicem gloriam, de qua merito gloriari potest: fuit enim primo in his diebus novi diluvii vitiorum et ignorantiae quasi arca benedicta, in qua religio et scientia refugium et hospitium invenerunt; secundo in annis regenerationis intellectualis subministravit Ecclesiae et mundo praecipuos hujus renovationis, quae Deum auctorem habet, cooperatores et ministros, scilicet S. Gregorium VII ejusque primos successores, SS. Odonem, Maiolum, Odilonem et Hugonem Abbates Cluniacenses, S. Petrum Damianum, S. Joannem Gualbertum, Robertum Arbrissellensem et multos alios, quos omnes nominatim enumerare nimis longum esset. De solo ultimo Roberto hodie disserere exopto, ejus gesta miranda potentemque influxum in meliori luce ponere, licet viribus impar, satagens. Atqui hic vir, potens opere et sermone renovationi mundi, de qua agitur, plurimum

<sup>1)</sup> Annal. Eccl. ann. 1001 n. 1 et seq.

adlaboravit et praesertim tamquam praedicator apostolicus et novae religionis fundator. Sed antequam eum consideremus sub hoc duplici aspectu, aliquid praemittendum esse videtur de primis ejus annis et de modo, quo se praeparavit ad digne implenda tam excellentia munia sibi a Deo praestituta.

§ I. Primi anni B. Roberti Arbrissellensis.

B. Robertus ortus est non apud L' Aubrussel prope Cretas, ut asseruit erronee Guerrosius, analogia nominis locorum deceptus,<sup>1)</sup> sed in Britannia minori apud viculum Arbrisselles alias Aubrussellum, nunc Arbresex, non longe a Vitreyo et Redonibus, teste Baldrico Dolensi, primo biographo et familiari ipsius Sancti plurimque ejusque discipulorum.<sup>2)</sup> Patrem habuit quemdam rusticum et pauperem nomine Damalio, qui postea factus est sacerdos. Mater vero ejus Ongnendis vocabatur.<sup>3)</sup> Annus nativitatís non est omnino fixus, sed inter annos 1045—1055 coarctari videtur; si quidem vir Dei mortuus est die 21. Februarii anno 1117 senex et plenus dierum, quod supponit aetatem provectam, i. e. saltem 70 annorum.<sup>4)</sup>

Ab ipsis infantilibus annis studia litterarum junxit pietati morumque castimoniam. Perambulabat regiones et provincias irrequietus et sollicitus pro adipiscenda litterarum disciplina. Ideoque fines paternos exiens adiit Parisios, ubi copiosiora erant scholarum emolumenta.<sup>5)</sup> Tunc temporis, sunt verba Baldrici, rex Philippus Francorum colonias regebat et Gregorius Septimus urbis Romae papatum tenebat<sup>6)</sup> (1073—1085). Quot annos peregit in hac civitate Robertus, nescitur, sed eum in litteris multum profecisse laureamque Magistri cum summa laude consecutum esse, nemini dubium esse potest, si quidem ex eo tempore usque ad obitum nomine Magistri insignitus est<sup>7)</sup> et insuper jam de eo auspicabantur magnum quiddam conscholares et quicumque eum noverant.<sup>8)</sup> Verisimile etiam videtur. Robertum in iisdem annis ordinibus sacris initiatum esse ac etiam gratia sacerdotali auctum fuisse, siquidem statim, ac rediit in provinciam natalem regimini cuiusdam ecclesiae et animarum ministerio deputatus est; sed quomodo semel in venenum simoniae inciderit occasione ordinationis

<sup>1)</sup> Guerrosius: De Fricassensium sanctitate ann. 1106.

<sup>2)</sup> Baldricus. Vita Roberti, n. 7.

<sup>3)</sup> Ipse Robertus morti proximus se dicebat humiliter natum ex quodam seniculo et quidam muliere paupercula sec. vita n. 43.

<sup>4)</sup> Baldricus n. 25 et Neerologium Fontis Ebraldi, die 25. febr.

<sup>5)</sup> Baldricus n. 7.

<sup>6)</sup> Id. ibid.

<sup>7)</sup> Id. n. 17. secunda Vita Roberti, n. 30, 34 etc. Hist. Univers. Paris I. p. 463 etc.

<sup>8)</sup> Baldricus n. 7.

cujusdam Redonensis Episcopi,<sup>1)</sup> prorsus ignoratur; nam Silvester, de quo mox erit sermo, canonicè fuit electus, et nullus alius episcopus Redonensis tunc temporis videtur fuisse institutus.

§ II. B. Robertus Archipresbyter Redonensis  
(1089—1095).

Quo tempore vacabat studiis Robertus, seu quo forsàn jam conscenderat aliquam cathedram in scholis Parisiensibus, Ecclesia Redonensis, cujus erat lege naturæ filius, multas patiebatur calamitates, tum a suis sacerdotibus et clericis, quorum vita et mores erant vitiis carnalibus foedata tum a potentibus saeculi, qui sanctuaria et altaria Dei sub jugo detinebant et magis offerenti vendebant.<sup>2)</sup> Sed in his diebus »ad Deum reconversa ista ecclesia Redonensis, de qua loquor, elegit in Episcopum Silvestrum, quem et morum sinceritas suaque commendabat nobilitas et in quo vigebat spiritualis disciplina, . . . qui vix institutus convocabat undique litteratos,<sup>3)</sup> ut eum adjuvarent in regimine Ecclesiae Redonensis. Porro huic Episcopo relatum est de Roberto »quomodo apprime eruditus erat liberalibus disciplinis, corpore vegetus et morum honestate compositus,« statimque dictus Silvester adiit Parisios, accersitum Robertum alloquitur de statu Ecclesiae Redonensis eumque enixe hortatur, ut revertens in natale solum ejus fiat in responsis ecclesiasticis interpres, sicque zelum Dei habens et militans cum suo praesule multifarie prosit populo Dei.<sup>4)</sup>

Annuìt Robertus, ut decebat, Silvestri obsecrationibus veniensque Redonas, demoratus est apud episcopum »tanquam archipresbyter, pacem inter discordes reformando, ecclesias ab infami laicorum ancillatu liberando, incestas sacerdotum et laicorum copulationès dirimendo: nam simoniam penitus abhorrebat omnibusque vitiis viriliter resistebat.«<sup>5)</sup>

Haec provectio Roberti ad gradum archipresbyteratus contigit circa annum 1089, nam antea Silvester adiutorem et vicarium habuerat Arnulfum<sup>6)</sup> et aliunde, »elapsis vix quatuor annis, ut asserit expresse Baldricus, »reverendus Pontifex gravi corporis tactus molestia hominem exiit,«<sup>7)</sup> qui tamen obitus non contigit ante annum 1093, ut constat ex veteri chronico.<sup>8)</sup>

1) Secunda vita n. 41.

2) Morice: Acta et probationes Britann. t. I. c. 461.

3) Baldricus, n. 8.

4) Id. n. 8.

5) Id. n. 9.

6) Morice: Probat. Britannicae t. I. c. 461.

7) Baldricus n. 10.

8) Morice t. 1. col. 103.

Mortuo vero Praesule, dissensiones et tumultus, de quibus pauca scimus, habuerunt locum in Ecclesia Redonensi, siquidem sedes vacavit toto triennio. Robertus solus relictus in medio fratrum, qui probis ejus actibus invidebant, vel quorum odium sibi pepererat zelo disciplinae ecclesiasticae et sanctitatis morum, decrevit secum invidiae cedere fugiensque Andegavum, ibi scholaribus studiis incubuit,<sup>1)</sup> seu potius munus docendi theologiam adimplevit in schola episcopali S. Mauricii hujus civitatis.<sup>2)</sup> De hac tamen circumstantia tacet Baldricus, ex cujus verbis solummodo scimus, Robertum, biennio commoratum esse Andegavi. Quo tempore, quamvis delicatis desuper tectus pannis, subtus ad carnem indutus erat cilicio seu veste ferruginea, insuper cibus raris et vilibus utebatur, ac saepe vigiliis et oratione occupabatur; nempe se praeparabat ad vitam eremi, quam ardentem concupiebat.<sup>3)</sup> Adfuit tunc tanquam testis foundationi Prioratus Cellae Guirchiensis in favorem abbatae S. Albini Andegavensis factae, in qua nullum aliud nomen usurpat nisi Roberti, presbyteri de Arbrixiel;<sup>4)</sup> sed ultra nihil scimus de mansione ejus apud Andegavenses.

§ III. B. Robertus eremita et fundator Abbatae B. M. de Rota sub regula S. Augustini (1095 et 1096).

Duobus annis Andegavi transactis, B. Robertus ad majora vocatus desertum petiit ad instar S. Benedicti et aliorum fundatorum Ordinum religiosorum, ut totus contemplationi deditus se praepararet vitae publicae per jejunia, chamennias et alias austeritates corporis ac spiritus. Porro solitudo, quam praelegit Robertus, fuit sylva Credonensis (Cravon) prope Lavallium in confinio Britanniae, Andegaviae et Cenomanniae, in eamque divertit solus cum quodam presbytero sibi ascito<sup>5)</sup> circa finem anni 1094. ut putatur: sed brevi turbae fidelium ad eum cucurrerunt, seu eum visendi gratia, seu potius ob ejus responsa et consilia percipienda, ut suis pravis conversationibus abrenuntiantes novam vitam agere incipiant. Ex quibus multi ejus sanctis praedicationibus meliorati cum eo etiam demorari, ejus famulatu deservire et tanquam consodales adhaerere cogitabant. Quocirca aedificatur commune domicilium, ubi collecti sunt, qui volebant vivere regulariter,<sup>6)</sup> eisque datur a Roberto regula S. Augustini, quam ipse Magister sequebatur, ut probabile videtur, dum resideret Andegavi apud Canonicos S. Mauricii.

<sup>1)</sup> Baldricus n. 10.

<sup>2)</sup> Hist. litt. de la France t. X. p. 154.

<sup>3)</sup> Baldric. n. 10.

<sup>4)</sup> Morice: Acta et probat. Britannicae histor. t. I. c. 475.

<sup>5)</sup> Baldricus n. 11.

<sup>6)</sup> Id. n. 12.

Tale fuit initium insignis abbatiae B. M. de Rota, cujus foundationem sancivit in anno 1096 summus Pontifex Beatus Urbanus secundus<sup>1)</sup> et cujus ipse Robertus fuit institutus primus Abbas seu Praepositus. Insuper exemplum, quod ipse mundo dederat, attraxit in solitudines vicinas Britanniae et aliarum provinciarum multos praeclaros viros, qui eum tanquam Patrem et Magistrum venerati sunt ejusque consilia tanquam oracula sequuti sunt, e quorum numero plures postea ad eximiam sanctitatem provecti sunt sanctaeque Ecclesiae multum et multifarie profuerunt. Nominatim hic solummodo indicabo SS. Vitalem, Bernardum, Radulphum de Fusteeia et Geraldum de Salis fundatores Savignei, Tyronis S. Sulpicii Redonensis et Caduini; sed aliquot alii eandem forsitan distinctionem mererentur. Quanta vero gloria jam fulget Robertus Praepositus Canonorum de Rota et Pater Eremitarum sui temporis! Sed tamen haec sunt tantum initia et praeludia prae muniis majoris momenti, quibus adimplendis dicabitur ultima pars vitae B. Roberti Arbrissellensis. Etenim contigit in illis diebus Februarii 1096, ut B. Urbanus secundus, qui tunc cum summa sapientia toti Ecclesiae praesidebat, in Gallias devenerit, Andegavumque declinans et ibi multa audiens de dicto Roberto, eum accessiri mandaverit ac perorare praeceperit in solemnibus dedicatione Basilicae Abbatialis S. Albini, »ad quam confluisse putares totam orbis amplitudinem,« sunt verba Baldrici.<sup>2)</sup> Porro tam luculenter locutus est orator ad populum, ut Dominus Papa »intelligens, quod Spiritus Sanctus os ejus aperuerit, injungit ei statim praedicationis officium eumque constituit post se secundum semivertebium in toto orbe.«<sup>3)</sup> Quod munus amplum, si multi post eum assecuti sunt et cum summa laude adimpleverunt, nempe Bernardus Claravallensis, Vincentius Ferrerius, Bernardinus Senensis et alii magni nominis, sed nullus antea, si bene historicos legi, simili dignitate auctus est, ac proinde B. Roberto remanet gloria specialis, quod sine exemplo praecedenti datus fuerit in exemplar suis aemulis et successoribus. Adde quod hoc munus praedicatoris apostolici adimplendo una factus est novae familiae religiosae Pater, novi Ordinis fundator. Sed de his duobus muniis pauca singillatim perstringamus.

#### § IV. B. Robertus Praedicator Apostolicus.

Hic ad ostendendum plenarie, qualis fuerit vita apostolica B. Roberti Arbrissellensis, necessarium esset recensere singillatim

<sup>1)</sup> B. Baluze *Miscellanea* t. 3. p. 18; textus melior quam ille qui prodiit apud Gall. Christ. t. 14, c. 15.

<sup>2)</sup> Baldric. n. 13.

<sup>3)</sup> Baldric. n. 14.

tum provincias, quas peragravit, tum miracula et virtutes, quibus fulsit cum innumeris fructibus salutis, quos collegit; item opus esset describere, quo genere vivendi tunc utebatur, quibus austeritatibus affligebat corpus suum, qua vi eloquentiae praedicabat verbum Dei, quo igne caritatis peccatores aggrediebatur duritiamque cordis eorum mollebat. Verum proh dolor! deficientibus documentis et diariis hujus sanctae praedicationis, perpauca colligi possunt ex historicis et monumentis coaevis. Incipiam tamen, licet viribus impar, summam aliquid de his singulis dicere.

Et primo itinera apostolica B. Roberti per viginti annos continuata fuisse constat. Nam teste Baldrico »statim legationi summi pontificis coepit curiose insistere et finitimorum episcopatum regiones perambulare«<sup>1)</sup> idemque opus prosecutus est, fere sine intervallo usque ad diem mortis suae.<sup>2)</sup> Constat insuper majorem partem Galliarum a Roberto et a discipulis ejus peragrata fuisse. Quinimo unus ex discipulis ejus, nempe sanctus Vitalis, bis transit Oceanum Angliamque tonitru suae praedicationis implevit.<sup>3)</sup> Bernardus, Tyronis fundator, peculiarem provinciam Normanniam scilicet, sibi videtur reservasse, Robertus vero, verbo divinae praedicationis infatigabiliter deditus, adiit vicissim sive solus, sive cum aliquot sociis non solum Andegaviam Britanniamque et vicinas provincias, sed etiam Burgundiam,<sup>4)</sup> Tolosam<sup>5)</sup> in annis 1098 et Petrocorium,<sup>6)</sup> Engolisma<sup>7)</sup> etc.

Ipsam pluries adfuisse in provincia natali certum est ex publicis monumentis, scilicet anno 1101 adfuit Loheaci prope Redonas »quidam sanctissimus homo Robertus de Arbressel cum grege confratrum suorum et magno concursu populorum.«<sup>8)</sup>

Tribus post annis assistebat Redoni alicui synodo, in qua promulgata est contra pervasores bonorum ecclesiasticorum quaedam sententia excommunicationis praecedenter lata a Girardo Engolismensi, legato Romani Pontificis. Ibi vocabatur Robertus de Arborellâ, antiquus Abba,<sup>9)</sup> per allusionem ad praeposituram B. M. de Rotâ, de qua jam supra dixi.

Creditur etiam adfuisse nostrum Christi praeconem ab initio praedicationis suae in solo natali, id est in ipso viculo Arbrisselensi, ubi a laxiori vivendi ratione ad viam veritatis et sanctitatis morum adduxit Hervaeum de Spina, ex isto loco oriundum,

<sup>1)</sup> Baldric. n. 15.

<sup>2)</sup> Secunda vita n. 24, 28 etc.

<sup>3)</sup> Analecta Bollandiana t. I. p. 373 et 374.

<sup>4)</sup> Petrus Venerab. Epistolar. lib. 2, n. 17.

<sup>5)</sup> Vaissette, Hist. de Languedoc t. 2, p. 398 etc.

<sup>6)</sup> Achery, Specileg. t. 3 p. 475.

<sup>7)</sup> Maratu: Vie de Girard d'Angoulême p. 118 et passim.

<sup>8)</sup> Morice de Bret. t. I, c. 506.

<sup>9)</sup> Ibid. c. 421.

qui fuit postea tertius Abbas B. M. de Rotâ.<sup>1)</sup> Item putatur, jubente Urbano Pontifice eandem curam suscepisse praedicandae in Britannia primae Cruciatæ ad recuperationem locorum sanctorum. Quæ res ad felicem exitum perducta est, siquidem ipse Dux Britanniae Alanus, cognomento Fergent, sumpsit vexillum sanctæ crucis et cum eo multi viri primæ nobilitatis.

Sed hæc sufficiunt de variis provinciis, quas peragrarè debuit infatigabilis Concionator Apostolicus. Nunc de modo vivendi, quem tenuit durante hoc tempore, aliquid dicendum est.

Poenitentiam praedicaturus in medio plebium omnibus vitiis deditarum Robertus nihil voluit verbis docere, quod non prius ipse complexisset operibus. Ideo genus vitæ amplexus est omnino austerum, sed prorsus viro Dei dignum. Nam »incedebat liber sine baculo et pera, nudis pedibus et sine jumento, tunicis asperioribus indutus.<sup>2)</sup> Jejunia saepe continuavit, orans frequenter pernoctavit et membra sua diuturna maceravit inedia.«<sup>3)</sup> Solummodo circa finem vitæ, corpore jam fatisciente, humiliter obediens consilio sacerdotum, calceatus est, jumentum ascendit et parumper corpusculo indulsit.<sup>4)</sup> Similiter ante foundationem Fontis Ebraldi noluit aliquem locum habitabilem eligere, nec habuit, ubi caput reclinaret.<sup>5)</sup>

Nunc de genere et fructibus eloquentiæ B. Roberti aliquid dicere tentabo. Quoad genus eloquentiæ, quo usus est eximius Christi concionator, difficile est illud describere strictim et fixe, textu ejus concionum nobis minime transmissis. Verumtamen ex uno vel duobus ejusdem colloquiis ab Andrea coævo et familiari asservatis,<sup>6)</sup> item ex duabus epistolis Beati ad nos similiter perventis,<sup>7)</sup> eruitur ipsum esse simplicem et omnino pium in sermone, invectivum vero in peccatum et peccatores; plenum aliunde affectu paterno pro desertoribus peccati, sed non respuebat amplificationem et quandam verbositatem, quæ decent prædicatorem, qui multitudini populcrum se dat hortatorem. Aliunde sicut ex fructibus cognoscitur arbor, ita ex fructibus judicatur eloquentia et meritum prædicatoris. Porro innumeri et immensi pretii fuerunt fructus Roberti prædicationum, testibus omnibus coævis, qui eum certatim nuncupant tonitruum sanctæ prædicationis (Petrus Pictaviensis), præconem, per quem bonus odor Christi longe

1) Chron. Craonnaise p. 135.

2) Baldric. n. 16 et 18.

3) Id. n. 18.

4) Ibid.

5) Ibid.

6) Secund. biograph. n. 5, 31—35, 38—40.

7) Una ad Petrum Pictav. episcopum. (La Main ferme: Clypeus fontis Ebraldi; secunda ad Ermengardam ducissam Britanniae; Biblioth. de l'École des chartes t. 5. De la 3 série.

lateque diffunditur (Marbodus Redonensis episcopus), Lucernam, quae peccatorum mentes, pulsus improbitatibus, solis justitiae radiis illustrabat (Leodegarius, archiepiscopus Bituricensis), solis orientalis radium luciferum irreverberatum, qui occidentalem orbis plagam irradiavit et ignorantiae tenebras ore potestativo defuscavit (Baldricus Dolensis). Haec et alia similia, quae proferri possent, testimonia in favorem vigoris eloquentiae B. Roberti, corroborantur per facta, id est, per innumeras multitudines, quae ei adhaerebant in omnibus locis, ubi successive apparebat et verbum Dei praedicabat. Oratorii hujus generis triumpho ignoti erant, ni fallor, ante Robertum; nunquam forsitan habuerant locum et postea non visi fuerunt, nisi duobus vel tribus vicibus, nempe in diebus SS. Bernardi, Vincentii Ferrarii, et forsitan unius alii.

Addendum est etiam, quod verborum virtuti accedebat gratia miraculorum extraordinaria, teste Baldrico,<sup>1)</sup> quamvis infeliciter nullius ex istis miraculis transmissa nobis fuerit relatio. Sed ex innumera multitudine fidelium, quae eum sequebatur, actus est vir Dei ad inchoandum novum opus non minus laude dignum, id est novae religionis institutionem, in qua sibi feliciter supervixit per septem saecula et amplius ad gloriam Dei et magnam Ecclesiae utilitatem.<sup>2)</sup> De hac nova religione aliquid nunc tractandum est breviter.

#### § V. B. Robertus novi ordinis sub regula S. P. Benedicti fundator.

B. Roberti delibutum sermonibus examen peccatis abrenuntiantium sanctumque inseparabiliter sequi volentium brevi crevit in immensum, inter quos erant multi publicani et mulieres publicanae seu meretrices, quae ei adhaeserant et pro posse obediebant.<sup>3)</sup> Porro ne aliquid in tali reageretur inconsulto et cum proximi scandalo, quoniam mulieres cum hominibus oportebat habitare, vir Dei, suadentibus insuper pluribus hominibus sapientia et bono consilio repletis, scilicet Marbodo Episcopo Redonensi et Goffrido Vindocinensi<sup>4)</sup> et aliis, deliberavit locum perquirere, ubi subsequentium multitudo possit communiter habitare, conversari et vivere sine periculo et

<sup>1)</sup> Baldric. n. 23.

<sup>2)</sup> Ordo Fontis Ebraldi adhuc subsistit quamvis paulisper immutatus, id est, ad tres domos reductus et nullos alios sodales numerat nisi sanctimoniales non claustrales sed scholis et educationi virginum addictus (V. Helyot: Ordres Relig. édit. Migne t. 4 p. 514 et suiv.).

<sup>3)</sup> Baldric. n. 19

<sup>4)</sup> Marbod. Epist. 6. Goffridus, Epist. lib. 4 n. 47, sic interpretor cum Mabillone haec duo documenta, quae causam pluribus controversiis dederunt (V. Hist. litt. de la France t. X. p. 160 et suiv.)

sine scandalorum scrupulositate.<sup>1)</sup> Non tamen castella aut vicos requisivit, sed simpliciter et ex proposito deserta.<sup>2)</sup> Atqui in finibus Andegavensium, Turonensium et Pictaviensium locus erat incultus et squalidus, spinetis obsitus et vepribus, ab antiquo Fons Eyraldi nuncupatus, ab hominum cohabitatione sequestratus. Silvulam hanc sive dumetum, in quo Dei nova familia habitaret et laboraret, elegit Robertus et promiscuos Christianitatis tirones illuc induxit.<sup>3)</sup> Illic jecit fundamenta novae religionis, cui nihil simile in seculis praecedentibus sub multiplici respectu visum fuerat. Nam quamvis nova erat religio sub S. Benedicti regula, quae ante SS. Dominicum et Franciscum erat quasi codex unicus omnium ad perfectionem tendentium,<sup>4)</sup> condita fuerit, statuta tamen propria et consuetudines speciales a suo fundatore accepit et sic in multis ab instituto simpliciter Benedictino dissidebat.

Item quamvis jam aliqua monasteria duplicia seu, in quibus virorum cellulae iuxta casas virginum (licet separatae) existebant, condita fuissent tum in Oriente, tum in Occidente,<sup>5)</sup> nihil tamen erant ista coenobia nisi aliqualis duplicitatis adumbratio, scilicet pauci erant viri numero seu quantum necesse erat ad implenda munera Capellani et similia in favorem monialium, dum e contra Robertus introduxit duplicitatem veram et completam cum proposito firmo subdendi perpetuo viros feminis intuitu meritorum B. Virginis Genitricis Dei Mariae et exemplo ipsius Christi in cruce pendentis. Res patet ex verbis biographorum et ex historia Ordinis Fontis Ebraldensis... »Promiscuos Christianitatis tirones induxit in sua coenobia« ait Baldricus.<sup>6)</sup>

Quod sic expressius confirmat secundus biographus:

»Haec erat Roberti inflexibilis consuetudo, ut, ubicunque coenobia sanctimonialibus suis construi fecerat, in honorem S. Mariae semper Virginis ea construeret. Et quia S. Joannes Evangelista eidem Virgini, praecipiente Christo, quoadusque corporaliter in mundo conversata est, devotus minister diligenter servivit, decrevit vir prudens, ut fratrum oratoria in ejus venerationem dedicarentur: quod non sine divina inspiratione factum fuisse existimo, ut quem videlicet exemplum serviendi sponsis Christi fratres haberent, eundem suorum oratoriorum patronum

1) Baldric. n. 16.

2) Secunda vita n. 12.

3) Baldric. n. 16.

4) Quod sic Robertus regulam S. Augustini, quam dederat B. M. de Rota, dereliquerit, patet ex secundo biographo n. 10 etc. et ex pluribus aliis testimoniis irrefragabilibus.

5) Plura exempla vides apud Mabillonium, *Annal. Benedict.* t. 5 p. 423.

6) Baldricus n. 16.

haberent.«<sup>1)</sup> Quocirca sanctus fundator paucis mensibus ante mortem omnes fratres Fontis Ebraldi ad se vocari praecepit eisque sic locutus est: »Ecce viam universae carnis ingredior. Quapropter deliberate vobiscum, utrum permanere velitis in vestro proposito, ut scilicet obediatís ancillarum Christi praecepto. Scitis enim quia quaecumque Deo cooperante alicubi aedificavi. earum potentatui atque dominatui subdidi. Si vero cum illis remanerè, sicut coepistis, non vultis, do vobis licentiam alterius religionis.«<sup>2)</sup>

Praevidebat enim vir Dei Spiritu Sancto plenus, quod futuris temporibus non deessent homines superbi et honoris cupidi, qui ejus agendi rationem vituperantes eam immutare tentarent. Quod revera contigit variis vicibus et praecipue tempore Urbani VIII, qui etiam talibus importunis precibus cedendum ratus bullam ad hanc innovationem sancendam scripto mandaverat, quae tamen bulla non fuit promulgata.<sup>3)</sup> Et forsán aderant etiam inter filios ipsos Roberti quidam indigne ferentes subdi et obedire sanctimonialibus, siquidem non omnes adstantes coram eo, quando verba praecedentia protulit ei assenserunt, sed solummodo pene omnes ex teste oculato.<sup>4)</sup>

Concordata nihilominus taliter fratrum ac sororum congregatione huius unionis conservationi salubriter providit adhuc vivus Robertus per electionem primae abbatissae, ne post obitum ejus aliquis praesumeret huic definitioni contradicere. Quae electio facta est coram nonnullis episcopis, abbatibus et aliis nobilibus personis ab ipso Roberto, sed de consensu omnium fratrum et sororum seu potius cum applausu unanimi: Nam electa est ad tanti honoris dignitatem Petronilla de Camilliaco, quae relictis paternis rebus statim post obitum unici mariti, sancti fundatoris discipula facta, portaverat cum eo tum laborem peregrinationis et paupertatis, tum pondus consolationis et prosperitatis ex testimonio ipsius magistri.<sup>5)</sup>

In qua praelatione omnibus virtutibus refulsit exemplarque dedit, juxta quod aliae Abbatissae Fontis Ebraldi claruerunt postea nobilitate generis, ardore pietatis et flamma caritatis.

Non solum duplicia erant coenobia a B. Roberto instituta, sed revera quadruplicia: nam ultra duo praecipua, scilicet tum sanctimonialium choro et orationi addictarum, tum virorum seu clericorum et laicorum ministerio sacro et labori manuum inser-

1) Secunda vita n. 11.

2) Secunda vita n. 5.

3) Helyot: Ordres relig. edit. Migne t. 2. p. 312 et seq.

4) Secunda vita n. 3.

5) Secunda vita n. 7.

vientium, duo alii erant coetus, nempe mulierum, quas a vitio retraxerat, cum oratorio proprio sub titulo S. Mariae Magdalenae, et leprosorum sub patrocinio S. Lazari. Nam talis erat charitas eximii viri Dei, ut nec incestas, nec pellices, nec debiles seu impotentes, nec etiam leprosos a suis domibus repelleret, quamvis sagax magister segregaret, ut necesse erat, mulieres ab viris, virgines a pellicibus, sanos a leprosis, diversosque per cellas et cuneos distingueret.<sup>1)</sup>

Haec pauca sufficiant de excellentia novae religionis a B. Roberto institutae, quae mox a Paschali secundo, vivente ipso fundatore, approbata et ab aliis Pontificibus multis aucta privilegiis simul ac regiis diplomatibus, brevi propagata est non solum in Gallia sed etiam in Anglia et in Hispania, pleraque millia clientum numeravit. Hic non est mei propositi annalium hujus ordinis compendium texere nec etiam recensere nominatim quindecim coenobia ab ipso Roberto fundata.

#### § VI. Pretiosa mors B. Roberti.

Tempora successere temporibus, nec unquam a pacto, quod cum Deo pepigerat, refrixit Robertus, semper in amore Dei fervidior, semper recens, semper devotior,<sup>2)</sup> id est, in jejuniis assiduus, in orationibus praecipuus, in lectione insatiabilis, pernox in vigiliis, superabundans in lacrimis, in doctrina admirabilis.<sup>3)</sup> Quae ultima verba innuunt, Christi praeconem usque ad mortem strenue desudasse in ministerio praedicationis, in conversione peccatorum, in reconciliatione inimicorum.

De facto duobus mensibus tantum ante mortem Carnotum adiit, ubi primo dissensionem gravem, quae orta erat inter clericatum et comitem hujus castri, sedavit, ubi secundo simoniaca haeresis, quae Carnotensium Canonicorum basilicam diutissime faedaverat, in perpetua damnatione per Robertum extincta est.<sup>4)</sup>

Item diebus sequentibus in variis locis animas praedicationis sanctae pabulo reficere voluit, apud Dolensem abbatiam, apud Graciacum in Biturigibus et alibi.<sup>5)</sup> Graciaci vero ita infirmatus est infatigabilis athleta Christi, ut jam non posset equitare. Unde sciens, se ex hac infirmitate moriturum, jussit praeparari feretrum ligneum, in quo posset commode portari ad Ursanum sui Ordinis coenobium vicinum. Altero die, postquam illic asportatus fuit,

<sup>1)</sup> Baldric. n. 17, 20, 22. Helyot, loco citato.

<sup>2)</sup> Baldric. n. 25.

<sup>3)</sup> Secundus biograph. n. 14.

<sup>4)</sup> Ibid. n. 15 et 16.

<sup>5)</sup> Ibid. n. 22, 24.

rogavit humillima devotione sibi dari viaticum corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi, quia, ut dicebat, longius profecturus erat.<sup>1)</sup> Crastina die, volens utpote christianissimus, omnia sacramenta Ecclesiae suscipere, petiit devote, ut benedicto oleo ungeretur et nihilominus eodem die et diebus sequentibus sese Eucharistia Christi munivit, licet semper se accusans ante corpus Dominicum et confitens humillime peccata sua.<sup>2)</sup>

Item nuntii transmissi fuerant tum ad Leodegarium, antistitem Bituricensem, tum ad Abbatissam et Priorissam Fontis Ebraldi, ut venirent ad eum, quia quaedam cum eis secreta consilia expendenda erant. Tacet tamen de his secretis biographus, excepta sepulturae quaestione. Relate ad istam obnixè rogavit Robertus, ut humaretur corpus ejus apud Fontem Ebraldum, quem locum, ut dicebat, caput constituerat suorum coenobiorum et suae religionis fundamentum.<sup>3)</sup> Leodegarius vero et Priorissa Conventus Ursani contradicebant, nolentes suam dioecesim et suam domum tam incomparabili thesauro spoliari. Instabat sanctus vir et tandem eo imperante lis finitur et ejus desideriis acquiescitur.<sup>4)</sup>

Post haec eximius Christi confessor terrena obliviscens, caelestia solummodo cogitans, totus et unice Deo deditus remansit usque ad efflationem spiritus. Et orans exemplo Christi orientis orationes ad Dominum diutissime fudit pro Romano Pontifice et Doctoribus Ecclesiae, pro hospitibus et benefactoribus suis et generatim pro universo populo Dei, non exceptis defunctis et inimicis.<sup>5)</sup>

Deinde jussit sibi afferri sanctam crucem. Qua allata de strato suo, virtute qua potuit, laetabundus exilivit, et ante crucem cum magna reverentia genua sua flexit, faciens sat prolixè suam professionem fidei, gratias agens pro innumeris beneficiis sibi et humano generi a Deo collatis; dehinc peccatorum suorum confessionem publice manifestavit singula nominando peccata. Postea omnium peccatorum suorum absolutionem a Deo humili supplicatione petiit, exorans similiter, ut in proximo a vinculis carnis absolutus a mundi hujus exilio simul abstraheretur.<sup>6)</sup> Quo momento inter manus singultuosi gregis spiritum emisit, seu potius ad astra recessit, ubi perenniter factus haeres Dei gaudiis fruitur sempiternis.<sup>7)</sup>

1) Ibid. n. 27.

2) Secunda vita n. 27 et 28.

3) Ibid. n. 33.

4) Ibid. n. 36.

5) Ibid. n. 37 et 38.

6) Secund. biograph. n. 38—42.

7) Baldric. n. 26.

§ VII. De cultu religioso B. Roberti  
Arbrissellensis.

Talis fuit pretiosa mors Roberti Arbrissellensis, talis fuerat vita, talia mira opera ad gloriam Dei et salutem animarum peracta. Aequum non erat, ut deleerentur seu perirent nomen et memoria egregii Christi Confessoris, qui claruerat tanquam lumen mundi splendillum fortissimaque columna sanctae ecclesiae. Et de facto non excidit recordatio fundatoris Ordinis Fontis Ebraldi. Nam coevi scriptores et post eum historici eum certatim summis laudibus extulerunt,<sup>1)</sup> dum simul denis vicibus et amplius, a Paschali secundo usque ad Benedictum decimum quartum, summi Pontifices eundem nuncupabant virum bonae memoriae, spectatae religionis presbyterum, patrem memoria aeterna dignum.<sup>2)</sup>

Imo statim post mortem seu ante annum 1120<sup>3)</sup> duo scriptores magni nominis, Baldricus Dolensis et alter anonymus, tanti Christi Confessoris gesta et virtutes litteris fideliter et pie mandaverunt ad perpetuam ejus memoriam et ad posterorum instructionem. Sed quid dico de laudibus scripto exaratis, quibus prosecutus est in decursu saeculorum B. Robertus; aliquid multo majus factum est in ejus honorem, siquidem exceptis solemnibus Canonizatione et annua festivitate, omnibus signis venerationis et cultus religiosi, quae adhibet Ecclesia ad Sanctorum commendationem, constanter per octo saecula circumdatus est Fontis Ebraldensis Ordinis fundator, id est a die obitus ad nostra usque tempora.

Etenim quando statim post obitum eximii Christi praeconis corpus ex ejus jussu, ut dictum est supra, asportatum fuit ad Monasterium Fontis Ebraldi magno cum apparatu, obviam sacris reliquiis ierunt non solum Radulphus Archiepiscopus Bituricensis et Reginaldus Episcopus Andegavensis, abbates multi, innumeri sacerdotes, sed etiam Fulco comes Andegavensis cum aliis nobilibus et infinita populi multitudine. Porro sepultum est corpus ante aram majorem in mausoleo honorificentissime ornato et prae veneratione istius corporis coram eo vota solemnibus nuncupabant sanctimonialia. Cor vero ejusdem Patris in Coenobio Ursano retentum similiter inclusum est in honorifica pyramide araque vicina vulgo appellabatur: Ara sancti Cordis, id est Ara cordis B. Roberti.

<sup>1)</sup> Vides testimonia apud Bolland. t. 3. Febr. p. 597. Nicquetus: Gloria B. Roberti p. 13 et seq.

<sup>2)</sup> Ibid. et Bened. XIV: De Beatificat. lib. 2 c. 41 n. 12.

<sup>3)</sup> Secunda vita n. 29. Asserit iste anonymus se scripsisse post Baldricum (n. 1) et ante mortem Leodegarii Bituricensis, quae contigit in anno 1120 teste Gallia Christiana t. 2 col. 46.

Item fons ille, qui antiquitus vocatus Fons Ebraldi, loco ipsi nomen dederat, nomen mutavit vocatusque est Fons S. Roberti in honorem sancti viri, qui ex eo aquam multoties biberat.

Quin imo in ipsis Litaniarum supplicationibus ex consuetudine immemorabili B. Roberti invocatio immediate post S. Benedictum habebat locum juxta hanc formam:

S. Roberte, Magister bone, ora pro nobis!<sup>1)</sup>

Item peregrinationes sacrae fiebant frequenter tum ad sepulcrum B. Roberti Fontisebraldense, tum ad ejus cor in Ursano coenobio servatum in honorem Venerabilis servi Dei ejusque meritis, ut pie creditur, sanationes miraculosae obtinebantur.<sup>2)</sup>

Quo statu rerum Joanna Baptista de Borbonio, trigesima prima Abbatissa Fontis Ebraldi, occasione nacta aperitionis tumuli et inventionis ossium bene conservatorum majori ex parte (1623), de solempni canonizatione coram summo Pontifice et Sacra Rituum Congregatione tractanda cogitavit supplicesque litterae de hac re mandatae sunt ad Innocentium X (1645), testibus Bollandistis et aliis, ex parte Ludovici XIV, Gallorum regis, et Henriciae, Reginae Angliae.<sup>3)</sup> Verumtamen quando viginti post annis (1669) agebatur legaliter et canonice de causa introducenda et discutienda coram Sacra Congregatione, obstitit Promotor fidei tum ob absentiam litterarum regiarum in favorem dictae causae, tum ob rumores infamiae contra Robertum sparsos a Goffrido Vindocinensi.<sup>4)</sup> Sicque res non ultra progressa est, forsan causa mali status relationum tunc temporis inter Curiam Romanam et Ludovicum XIV initarum, nam teste Benedicto XIV epistola dicti Goffridi nullum vel modicum constituebat fundamentum contra Venerabilem servum Dei.<sup>5)</sup>

Recentissime nostris diebus (1853?) novae supplicationes Romam allatae sunt ad effectum obtinendi in favorem Roberti Arbrissellensis simplex Beatificationis aequipollentis decretum, quae concessio videbatur omnimodo legitima, datis signis venerationis et cultus religiosi, de quibus supra. Sed proh dolor! responsum est, praetermissis omnibus documentis et probationibus talem

---

<sup>1)</sup> Eadem invocatio invenitur etiam in quodam libro Horarum, qui fuit ad usum D. Joannis Ducis Bituricensis (1420) in Gallia V. Delisle *Mélanges de Paléographie* p. 396.

<sup>2)</sup> Circa haec et alia testimonia cultus publici vides Bollandist. loco citato, seu potius Lardier (1620) monachum fontis Ebraldi, cui debetur scriptum (*Trésor de Fontevraud*), quod ineditum (2 tom.) asservatur in archivo publico Andegavensi.

<sup>3)</sup> Acta SS. t. 3. Febr. p. 596.

<sup>4)</sup> Benedictus XIV: De Beatificat. lib. 2 c. 36 n. 7, et c. 41 n. 12.

<sup>5)</sup> Ibid. c. 41, n. 12.

modum procedendi in forma simplici non posse habere locum post introductionem alicujus causae in forma solemnī. Quae responsio, si attendatur ad literalem sensum verborum Benedicti XIV<sup>1)</sup>, non est forsā erroris seu exaggerationis vacua, ac proinde annihilari seu in meliorem sensum adduci posset positis ponendis. Faxit Deus, quod sic contingat!

Quidquid sit de hac re, grex filiarum Ordinis Fontis Ebraldensis olim numerosus, hodie pusillus, eadem ac olim veneratione prosequitur diebus nostris suum sanctum Fundatorem, cujus sacrae reliquiae e rudibus coenobii Fontisaebraldi extractae, asportatae sunt in domum Camiliacensem (Chemille) territorii Andegavensis pieque in nova capsā collocatae ac religiose cultae cum licentia et auctoritate Episcopi Andegavensis. Sed haec quid sunt prae sanctitate et miris operibus eximii concionatoris et Christi Confessoris, qui tam optime meruit de Ecclesia et mundo? Nam, ut ostensum est initio hujus parvae scriptionis et ut dicebant coevi, Providit Deus Robertum Arbrissellensem, ut, quamdiu in vivis ageret, lucerna esset mundi. Lucerna etenim fuit, quia peccatorum mentes, pulsīs improbitatis tenebris, solis justitiae radiis illustravit. Pes fuit claudorum, caecorum oculus . . . vitiorum omnium depulsor, auctor virtutum, concordia dissidentium.<sup>2)</sup>

## Das Benedictinerinnenstift Gandersheim und Hrotsuitha, die »Zierde des Benedictinerordens.«

(Von Otto Grashof, Priester der Diöcese Hildesheim.)

(Fortsetzung von Heft 2, Jahrg. VI, Seite 351—356.)

### III. Hrotsuitha's Herkunft und Bildungsgang.

Eine lange Zeit hat die grosse Benedictinernonne Hrotsuitha in Vergessenheit geruht; Jahrhunderte hindurch war und blieb der Klang der »starken Stimme von Gandersheim« und diese selbst fremd und verschollen für die Welt.<sup>1)</sup> Ist es zu verwundern, dass, als nach vierhundertjährigem Begrabensein Johann Tritheim und Conrad Celtes zuerst Namen und Werke Hrotsuitha's wieder ans Licht und zum Leben brachten,<sup>2)</sup> sich an Hrotsuitha's Namen und Person die mannichfaltigsten Legenden und Mythen knüpften? Je weiter sich jetzt einerseits der Kreis ausdehnte, in dem man die Dichtungen der Ganders-

<sup>1)</sup> De Beatif. lib. 2, c. 41, n. 12.

<sup>2)</sup> Oratio funebris Roberti in ejus exequiis prolata a Ven. Leodegario Archiepiscopo Bituricensi, apud Boll. t. 3. Febr. p. 597.